DE SAMPSVCHO. CAP. CCLVIII.

NOMINA.

Maiorana.

AMYYXON, ἄμαρακον Græcis: Maiorana, Amaracus Latinis: officinæ latinam appellationem retinuerunt, Germanis Maioran / uel Meyran dicitur. Animaduertendū autem nos hic de Amaraco ea loqui quæ iucundo placet odore. Duplex enim Græcis Amaracus est. Vna quæ Dioscoridi alio nomiue Parthenium dicitur, ingrato prorsus & uiroso odore prædita, meritoq; ea de causa hodie Cotula fœtida nominata. Altera de qua hic agimus, odorata, quam Sampsuchon Græci priuatim nominant. Id, ne imperitis uox illa πολύσημος imponeret, monendum esse duximus.

Duplex Amaracus.

FORMA.

Herba est Sampsuchum surculosa, per terram serpens: foliȝs hirsutis & rotundis, Calaminthę tenuifoliæ similibus, admodum odoratis. Hæc deliniatio adamussim herbæ Maioranæ uulgò dictæ fauet: est enim surculis lentè rubentibus, foliȝs pilosis, & rotundis, iucundo odore, semine copioso, quod bullulis quibusdam continet: flore candido & exiguo. Serpit etiam per terram: uerum id non ubiq; fit, interdum enim rectà surgit in altum.

LOCVS.

Passim in hortis & fictilibus uasis prouenit. Gaudet autem locis umbrosis, aqua & fimo.

TEMPVS.

Æstate dum floribus prægnans est carpitur.

TEMPERAMENTVM.

D Sampsuchum tenuium partium, & digerentis est facultatis: desiccat enim & calefacit ordine tertio.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Calefaciendi uim obtinet, & coronamentis apta. Decoctū eius potum, incipienti aquæ inter cutē prodest, & iȝs quos urinæ difficultas, & tormina discruciant. Arida folia ex melle illita, sugillata tollunt. In pesso subdita menses ducunt. Cōtra scorpionis ictum ex sale & aceto illinuntur. Luxatis cerato excepta imponuntur. Similiter & œdematis. Aduersus oculorum inflammationes cum polline polentæ illinitur. Miscentur acopis & malagmatis calefaciendi gratia.

EX PLINIO.

Sampsuchum scorpionibus aduersatur ex aceto & sale illitum. Menstruis quoque multum confert impositum. Minor est eidem poto uis. Cohibet oculorum epiphoras cum polenta. Succus decocti tormina discutit. Vrinis & hydropicis utile. Mouet & narium sternutamenta. Fit ex eo oleum quod Sampsuchinum uocatur, aut Amaracinum, ad excalfaciendos emolliendosq; neruos. Vuluas calefacit. Et folia sugillatis cum melle, & luxatis cum cera prosunt.

Oleum Amaracinum.

AMARACVS